



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 109. Et acceßit ad eum una ancilla. v. 69.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Sic plerumque mundani & perversi homines tractant & illudunt sanctos Dei & viros pietate conspicuos, qui vel jure vel exemplo suo hortantur illos ad virtutis & mortificationis studium. nam cachinnantes aiunt hos esse hypocritas & fallaces, simplices ac stultos, nullius scientiæ, viros rerum imperitos, non capere rationes statûs, esse scholares &c.

Longe, obsecro, sit à me Domine tanta petulantia, malitia & curiositas, ut velim indagare vitam & mores aliorum animo deridendi, aut calumniandi, sed potius, ut virtutes eorum imitari possim, vitia declinare, me salvare.

§. 108. *Petrus vero sedebat foris in atrio. v. 69.*

Hic Evangelista revertitur ad Simonem Petrum exponens, quid egerit interea dum Christus in domo Caiphæ ita male tractatus fuit, nimirum manserit in aula Caiphæ, & sederit in atrio foris cum militibus scilicet, dycolis & perversis expectans quid de Christo ageretur, audiens interea de Christo per milites multa scandalosa verba, impia, obscena, iuramenta, blasphemias, detractiones, irrisiones: quæ omnia ei non ad salutem profecere, sed potius ad ruinam & timorem, quippe qui non solum abiit ac stetit in via peccatorum, sed & sedit in cathedris malorum, nec fugit occasionem peccatorum. qui si mansisset cum Maria Matre & aliis discipulis congregatis, utique non incidisset in laqueos peccandi.

O quantum nocet mala societas! Petrus fortis ille athleta, imo petra bona & simplici intentione te Domine, sequebatur & expectabat foris in atrio summi Sacerdotis, attamen inter milites sedens infirmatur, in constantia promissionis suæ & professionis. Quid ausim de me polliceri, nisi maiorem casum, si non fugiam malam societatem. Tu mihi, Jesu, da gratiam si fors inventus fuero inter malos, ut cum iis nunquam sedeam aut diutius hæream, sed fugiam in tempore, vel stem in timore ob periculum, ne laqueis ipsorum captus, tui obliviscar, & peccare incipiam.

§. 109. *Et accessit ad eum una ancilla. v. 69.*

Ut scilicet iste infirmior sexui etiam in Dominica passione, suâ personâ non careret, in qua omnium hominum personæ agebantur, uti etiam omnes redimebantur, quoad sufficientiam. ut ait Ambrosius. nemo enim non ex virili sexu cooperabatur ad Christi passionem, principes, privati, sacerdotes, laici, amici, inimici, pagani, liberi, servi, iuvenes, senes, sexus tantum fœmineus defuisse hætenus videbatur, at nunc comparet etiam iste & non sine causa ad Petrum accessit, ut scilicet, per eum tumens præsumptionis oriturum esset gravius periculum ostenderetur. dum enim sedet cler-

cus